

**Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.**

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 44, fol. XXv–XXI

**Per testamentum acquiruntur res. Cap. XLIIII**

Acquiruntur nobis res etia[m] iure civili per testamentum et ab intestat[o] reolicta<sup>a</sup>. Et primo videndum de testamento: quid sit testamentum et unde dicatur, quot sunt species eius, quot requiruntur in testamenti factione, quomodo confirmantur testamenta, quomodo et quot modis infirmentur. De primo testamentum est voluntatis libere et sane mentis iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult cum institutione heredis. Dixi „voluntatis libere”, quia si quis cogeretur, non valeret testamentum, etiam si iuramento firmaret ipsum non velle mutare. Dixi „sane mentis”, quia licet eger sit corpore: incolumis tamen ratione. Dixi „iusta sententia”, id est legittima dispositio de rebus mobilibus et immobilibus. Dixi „de eo quod quis post mortem suam fieri vult”: scilicet de universo patrimonio, quia nemo potest in parte testari et quia ante mortem nemo potest sibi ex aliquo testamenti ius vendicare. Dixi „cum heredis institutione”, quia heredis institutio est caput et fundamentum totius testamenti. Et ex institutio alicuius in locum suum statutio, quia persona defuncti et heredis una censentur. Dicitur autem testamentum „quasi testatio mentis vel voluntatis”: non tamen quaelibet, sed solum illa, que hereditates disponit: et illa est mutatoria usque ad ex[fol. XXI]tremum vite, etiam si de non demutando pactum vel iuramentum intervenerit. Due autem sunt species testamenti: una dicitur nuncupativa que fit per verba, alia inscriptis vel per instrumentum. Sed non est differentia, si scribatur in tabulis vel papyro vel pergamente, dummodo testibus signetur vel sigillis muniatur.

<sup>a</sup> właśc. relicta

[hasła: prawo rzymskie, testament, ustanowienie dziedzica, ostatnia wola, przysięga, ruchomość, nieruchomości, świadek, pieczęć, papier, pergamin, testament ustny, testament pisemny]